



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

XXXV. An soli Deo tribuatur in Scriptura opera pietatis propter physicam
prædeterminationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

nisi alio modo immediate influeret in ipsummet
actum; ergo est contrario etiam si non det talem de-
terminationem; si dat supernaturalem virtutem,
& cum illa per se, & immediate facit ipsum opus
influxu quodam gratuito, & supernaturali, vera fa-
cit in nobis talia opera. Quocirca ex vi huius prio-
ris locutionis, quod Deus facit in nobis ipsum vel-
le, non infertur, nec probatur aliud auxilium effi-
cax nisi simultaneum, nam hoc est per se ac simpli-
citer necessarium, quia efficacia actus pii in ipso, &
per ipsum consummatur, & ideo ea tali sufficien-
tia præcisè spectata, non solum prædeterminationi-
nis, verum etiam nec alicuius præuenientis auxilij ef-
ficacis, necessitas colligitur, nisi aliunde ostendatur.

Aliud vero principium in illis testimoniis con-
tentum, optimè ostendit esse necessarium auxiliū
efficax præueniens, quo Deus impleat fidei, aut
priorum operum promissionem, & prædeterminatio-
nem, non tamen probat hoc auxilium debere esse
physicè prædeterminans, quia ut diuina promissio
& prædeterminatio infallibiliter impleatur, vocatio
efficax, seu congrua propterea nobis explicata est suf-
ficient, & ut per actus liberè factos sicut ordinata est,
fiat, necessarium est, ut non per physicam prædeter-
minationem, sed per auxilium, cui secundum se
spectato, voluntas hominis possit resistere, impleat-
ur, sicut per vocationem congruam fit. Neque ex
posteriori testimonio aliquid amplius colligitur. S.
Patres: nec verbum prædeterminandi, aut æquiuale-
ns in eis inuenitur, sed solum docent Deum non pro-
mittere ea, quæ homo ex se, suisque viribus factu-
rus est & industria, sed ea quæ ex peculiari Dei au-
xilio, præparatione, & inclinabili directione reci-
piet, ac faciet, & hoc modo dat Deus per vocatio-
nem congruam fidem, & pia opera quæ promissit.
Non enim ita illa promissit, ut non sint homines ea
facturi, nam hoc ipsum in promissione includitur,
(ut Augustinus citato loco dixit) quia est faciant ho-
mines bona, quia ad colendum Deum pertinent, ipse facit, ut
illi faciant; hoc autem facit Deus per vocationem
congruam, ut sæpe est dictum, & mox amplius ex-
plicabimus.

Ex testimoniis autem secundo loco adductis, pri-
mum in quo Christi verba afferuntur, *Qui ex Deo est,*
verba Dei audit, non oportet ita intelligi, ut esse ex Deo
sit esse prædeterminatū, quia fortasse multi tunc non
credentes erunt prædeterminati, tum etiam quia cau-
sa non credendi non potest in Deum non prædesti-
nantem refundi, ideoque altera casualis. Propterea
vos non auditis, quia ex Deo non estis vel in rigore falsa,
vel improprieissima esset. Igitur, *esse ex Deo* est adhæ-
rere Deo, & regi spiritu eius, iuxta illud Roman. 8.
Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. Unde è contra-
rio illi dicuntur ex Deo non esse, qui Deo non adherent
nec motiones eius sequuntur. Sicut ibidem isti, qui
non sunt ex Deo, dicuntur esse ex Diabolo non præ-
determinatione, sed praua ipsorum voluntate. Ita er-
go dicuntur non esse ex Deo, quia sua voluntate ei
resistunt, & diabolo adherent; ergo è contrario
dicuntur esse ex Deo, qui diuinam inspirationem
sequuntur, & ideo Ammonius Leontius, & Theo-
dorus apud Maldonatum, ibi dixerunt hominem
esse, vel non esse ex Deo, non natura sed electione. Ex
quo vero sensu tantum abest, ut physica præde-
terminatio colligatur, ut potius libertas in obtem-
perando vel resistendo gratiæ præuenienti stabi-
liatur.

Quia ergo Augustinus tract. 42. secundum præ-
determinationem locum illum interpretatur, respon-
demus etiā hunc sensum non obstat nostræ senten-
tiæ (quidquid sitan literæ quadret) quia licet do-
num fidei ex prædeterminatione procedat, illa præde-
stinatio per vocationem congruam impletur non
per prædeterminationem physicam. Potest autem

illa prædeterminatio, aut esse simpliciter ad æternam
salutem, si fides viua sit vsq; ad finem vitæ perman-
sura, vel tantum secundum quid per quandam
prædeterminationem ad fidem solam, vel ad creden-
dum aliquando si fides sit temporalis. Si autem al-
tera pars. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis
si ad carentiam electionis ex parte Dei referatur,
non potest sumi in sensu casuali, quia Deus nullo
modo est causa incredulitatis, dicit ergo solam
consecutionem secundum præscientiam, ut etiam
idem Augustinus exponit.

Ad loca ex actibus desumpta fatemur in priori
de Lydia indicari efficaciam præuenientis gratiæ, Responde-
illam verò dicimus fuisse per diuinas illuminatione-
nes, & inspirationes illi feminæ congruentes. Et ita
Prosper, lib. de vocat. gent. c. 23. aliās 8. nihil aliud
ex illo loco colligit, nisi fidem esse ex inspiratione diuina.
Alter vero locus de præordinatis ad vitam æter-
nam variè exponitur, sed nunc damus, sermonem
esse de prædestinatis, ut sentit Prosper. in epist. ad
Ruffinum. Intelligendum vero est vel simpliciter
ad vitam æternam, sine secundum quid ad creden-
dum, ut sentit Chrysostomus Homil. 30. exponens
præordinati, id est, præfiniti a Deo, non enim oportebat
omnes, qui tunc crediderunt, fuisse prædestinatos ad
gloriam, neque etiam omnes prædestinatos, qui ibi
aderant, tunc cecidisse; crediderunt ergo, qui pro-
tunc prædestinati erant ad credendum. Illa autē præ-
destinatio potest exponi, ut solum denotet æternā an-
tecessionem, etiam si non fuerit ante præscientiam
absolutam futuræ determinationis voluntatis; vel
potest intelligi de prædefinitione ante præscien-
tiam absolutam futurorum, quem sensum etiam
concedimus, & nihilominus nihil inde colligitur,
quia illa prædefinitio non excludit conditionatam
præscientiam futurorum, & ita per vocationem
congruam executioni mandatur. Cetera vero te-
stimonia sine causa allegantur, probant enim hu-
manam voluntatem sine auxilio gratiæ nihil vale-
re ad opera pietatis, nec posse illam inchoare, nisi
gratia præcedat, & incipiat, inde tamen nulla pro-
babilitate inferri potest, voluntatis libertatem ob-
tundi, seu prædeterminari gratiam, aut hoc esse
necessarium ad opera pietatis, vel simul esse posse
cum eorum libertate. Neque Augustinus, vel alij
Patres in illo sensu his testimoniis vtuntur, sed tan-
tum ut necessitatem gratiæ ante omne meritum
persuadeat. Et specialiter verba vltima Pauli ad
Hebræos indicant modum, quo Deus in nobis fa-
cit, quæ illi sunt placita, aptando nos in omni bono, per
vocationem utique congruam, ut supra explica-
tum est.

CAPVT XXXV.

An soli Deo tribuantur in Scriptura opera pietatis
propter physicam prædetermina-
tionem.

QVintus argumentandi locus ex illis testimoniis
sumitur, in quibus hominis salus, & omnia o-
pera quæ ad illa conferunt, soli Deo tribuntur, vel
in solam eius voluntatem reuocantur. Præcipuum ex locis qui
testimonium est illud Roman. 9. Non est volentis neq;
currentis, sed Dei miserentis, & ibidem, Cuius vult, mise-
retur, & quem vult, indurat. Vbi totum tribuitur vo-
luntati Dei, quod non potest alia ratione fieri, nisi
quia voluntas eius sola est, quæ voluntates huma-
nas determinat. Aliud testimonium vulgatissimu
est illud 1. ad Corinth. 4. Quis enim discernit? Vbi sig-
nificat Paulus Deum solum esse qui iustum à pecca-
tore

tore discernit, determinando utique illius voluntatem ad bonum, propter quod etiam dicitur. *Quid habes, quod non accipisti?* Ex his enim locis sæpe probat August. hanc discretionem esse ex sola misericordia, non ex hominum libertate. Præsertim q. 2. ad Simplician. & lib. de prædestinat. Sanct. c. 4. & 5. Tert. testimonium huic loco accommodatum esse potest illud Ierem. 10. *Scio Domine quia non est in homine, via eius, nec viri est, ut ambulet & dirigat gressus suos.* Ex quibus testimoniis ita solent argumentari propugnatores prædeterminationis physice. In operibus gratiæ totum est tribuendum Deo; sed non potest tribui totum Deo, nisi ratione physice prædeterminationis; ergo. Maior patet ex dictis testimoniis, præsertim ex illis. *Non est volentis* ideo enim negatur homini, ut totum Deo tribuatur. Quia ut dicitur 1. Corinth. 12. *Omnia operatur vnus, & atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult;* Et idē probant multa ex superius tractatis, & ita etiam loquuntur Patres præsertim August. & Anselmus, quorum testimonia postea tractabimus. Minor autem probatur, quia cum sit certum hominem per liberum arbitrium concurrere ad opus pietatis, nihilominus dicitur totum esse Deo tribuendum; ergo id esse non potest, nisi quia ipse concursus voluntatis humanæ reducitur in diuinā prædeterminantem illam. Item quia licet voluntas humana proximè operetur, tamen vltima resolutio fieri debet in diuinam voluntatem, vult enim homo, quia Deus vult, ut velit, ergo quia prædeterminatur. Denique hoc sensu ait Paulus *Non est volentis, neq; currentis, non quia ipse non velit, sed quia quod velit non est imputandum illi, sed gratiæ prædeterminanti.* Alioqui si quod velit homo ipse in suo genere vltimatè attribuitur, sicut dicitur, non est volentis, sed Dei miserentis, quia in vno genere Deus incipit, & ita dici poterit non esse Dei miserentis, sed hominis volentis, quia in alio genere lib. arbitri. est vltima ratio se determinandi. Quo argumento utitur ferè Augustinus in Enchirid. cap. 32.

Sed hæc testimonia ad summum probant necessitatē diuinæ præmotionis, & congruæ vocationis gratuito, & ex voluntaria electione, & prædeterminatione collatæ. Vnde in memoriam reuocanda est distinctio supra data de duplici ordine sub quo possunt hæc opera pietatis & gratiæ considerari, scilicet, sub ordine executionis, & prædeterminationis. Priori modo certū est talia opera non esse à sola gratia, nec à solo libero arbitrio, sed ab utraque; iuxta illud Aug. ser. 15. de verb. Apost. c. 11. *Non partim gratia, partim libero arbitrio, sed totum singula opera in diuino peragunt.* Posteriori autem modo omnia in solum Deū eiusque voluntatem reducuntur. Quia doctrina supposita facile dicta testimonia intelliguntur, & argumento ex illis formato satisfiunt.

Quod ergo attinet ad verba Pauli. *Non est volentis, &c.* Nazianz. orat. 31. de executione ipsa intellexisse videtur, & ideo exposuit, id est, non solū volentis, nec currentis solum, sed etiam Dei miserentis. Et subdit. *Ita quoniam velle quoque ipsum à Deo est, optimo iure totum Deo assignauit.* Contra hanc vero expositionem obicit August. in Enchirid. c. 32. quia eadem ratione dicere possumus, non est Dei miserentis, sed hominis volentis sub intelligendo solius & etiam quia non est solius miserentis Dei, sed etiam volentis hominis: id autem admittendum non est, aliquid enim singulare voluit Paulus misericordie Dei tribuere, ut ex contextu manifestū est. Addit ergo, & rectè August. *Restat ut propterea rectè dictum intelligatur non volentis hominis sed miserentis est Dei, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam, & preparat adiuuandā, & adiuuat preparatam.* Eandem doctrinam habet q. ad Simplic. & concludit. *Non igitur ideo dictum putandū est, non volentis, neq; currentis, sed miserentis est Dei, quia sine eius adiutorio non possumus adipisci, quod volumus, sed potius, qui a*

sine eius vocatione non volumus. Et sic etiam dixit in lib. Proposit. epist. ad Roman. c. 61. *Quia neq; velle possumus, nisi vocemur, ideo verissimum est miserentis Dei esse, quod bene velimus, & operemur.* Quod approbat lib. 1. Retract. c. 23. Sed parum inquit de ipsa vocatione dixerunt, quæ sit secundum propositum Dei. ac si diceret, ideo soli Deo miserenti tribui bonum velle, quia ex sola eius misericordia vocatione congrua præcedit. De qua intelligitur etiam ab eodem Aug. dictum lib. 83. Quæstion. q. 69. *Licet quis possit sibi tribuere, quod veniat, non talis tamen potest sibi tribuere, quod vocatur.* Igitur quia necesse est ut vocatione congrua præcedat, & hæc datur ex sola misericordia Dei, ideo soli Deo, & misericordie eius nostrum bonum velle attribuitur. Falsum ergo est non posse hoc soli Deo tribui, nisi quia prædeterminat hominis voluntatem, cum August. doceat illi tribui, quia congruenter vocat, id est, quia excitat voluntatem hominis sicut oportet, ut illa consentiat. Et hanc explicationem declarat, & confirmat opimè D. Anselm. lib. de Concord. p. 3. cuius verba infra in proprio capite latius tractabimus.

Addo præterea, quod verba Pauli etiam secundum ordinem executionis intellecta, non excludit quin libertati voluntatis tribuenda sit conuersio in suo genere, ut proximè causæ, sed docent non ita tribuendam esse voluntati, sicut gratiæ, quod neq; Nazianz. negauit, ut infra ostendam, & Anselm. his verbis declarauit. *licet iustitia seruetur (vel recipiatur) per liberum arbitrium, non tamen tantum est imputandum libero arbitrio, quantum gratia quoniam illam liberum arbitrium non nisi per gratiam præuenientem, & subsequenter habet, & seruat.* Non est ergo propter gratiam prædeterminantem, sed propter præuenientem, id est, propter vocationem, ut Aug. dixit, & propter subsequenter principialis cooperantem. Quamvis loquendo secundum ordinem prædeterminationis & electionis gratiæ multo magis tribuitur voluntatis consensus soli Deo, faciendo vltimam resolutionem in ipsum. Consentit enim voluntas cum adiutorio gratiæ, quia prius vocata est congruenter per solam gratiam; ideo autem sic vocata est, quia illam Deus elegit, vel ad salutem, vel ad fidem, aut poenitentiam; ideo vero illam elegit quia voluit iuxta illud. *Miseror cuius miseror, & misericordiam præstabo cuius miseror.* Et ita sicut supra ostensum est, ob prædeterminationem non esse necessariam prædeterminationem, quia per vocationem congruam sufficientem, & accommodatissimam impletur, ita ut vltima resolutio in diuinam voluntatem eligentem fiat, & ea ratione dicatur, non esse volentis, neque currentis, sed Dei miserentis in sua æterna dilectione. Non est ergo necesse, ut per physicam prædeterminationem tollatur à voluntate humana indifferencia, quam habere debet prius natura, quam se determinet; sed oportere solum, ut voluntas sic indifferens congruenter vocetur, & excitetur, ut cum adiutorio gratiæ comitante infallibiliter se determinet.

Et hæc responsio applicanda est ad secundum testimonium de discretionem inter eum, qui gratiæ consentit, & eum, qui resistit: nam si resolutio fiat ad ordinem diuinæ intentionis, sic fuit ex sola misericordia Dei, huic potius quā illi vocationem ex proposito, seu congruā præparare, in vsu autem, & executione coniungi necessario debet libertas arbitrii, ista enim consentit, quia non vult pro sola sua voluntate. Et similiter inter iustos iste est sanctior, quam ille, quia pro sua libertate magis conatur cum adiuuante gratia, licet hic maior conatus ex diuina electione media congrua vocatione descendat. Et ita utrumque coniunxit Conc. Trid. sess. 6. c. 7. dicens. *Vnum quonque accipere iustitiam secundum mensuram spiritus sancti partitur singulis prout vult, & secundum propriam*

3.
Hæc verba
Non est volentis, &c.
de executione ipsa intellexisse videtur Nazianzenus.

qui ipse dispos. totam ac cooperationem. Et sic etiam verisimilium est quod Paulus in citato loco 1. Cor. 4. intendit, Neminem, scilicet, discerni ab alio, nisi per ea, quæ accepit, quia licet ex adductis vnus non discernatur ab alio, nisi per liberam suæ indifferentis voluntatis operationem, tamen ratio diuersitatis, in ipso vsu manat ex gratia, non media prædeterminatione quæ indifferentiā in operādo aufert, sed media vocatione congrua, quæ gratis datur & ex diuina electione omnino voluntaria manat.

Circa tertium testimonium notanda est Damasc. doctrina 1.2. de fide cap. 26. discrimen esse inter electionē, & actionem liberā, quod electio semper est in nostra potestate, & ideo semper est libera, actio vero non semper est in nostra potestate, sed interdum deficit, vel ex impotentia nostra, vel ex ordine diuinæ providentiæ. Et ratio esse videtur, quia electio est per se, ac proximè ac formaliter libera, & ideo non priuatur suo intrinseco, & connaturali modo, quo fieri postulat, actio vero est libera per denominationē ab electionis imperio, quod est illi intrinsecus, & ideo extrinsecus etiā potest impediri. Et ideo ad conseruandā libertatē necessariū est, & sufficit quod in electione, seu volutione vsus libertatis seruetur, etiam si executio impediatur, vel nō sit in hominis potestate, tunc enim voluntas pro facto reputabitur, & defectus executionis homini non imputabitur. Hoc supposito dico verba Ierem. intelligi posse de executione, & actione, & sic in eis compendatur gratia subsequens, ad nostrā electionē, seu propositū. Quamuis enim homo cum priori gratia optimè eligat, & proponat, indiget diuinā gubernatione, & directione, vt illam exequatur, vel quia longè maior in executione inuenitur difficultas, vel quia non est in potestate hominis omnia impedimenta præcauere, &c.

Hæc ergo ratione merito dicitur. Non est in homine voluntas, quia licet illam ingredi, & ambulare proponat, oportet, vt Deus det vires ad ambulandum, & dirigat gressus eius. Cui consonat illud Prou. 2. A Domino diriguntur gressus viri, quis autem hominum potest intellegere viam suam. Et ideo dixit Paulus, Deum non solum dare velle sed etiam perficere pro bona voluntate, vel hominis proponentis cum gratia, vel Dei ad vtrumque gratiam conferentis. Vnde etiam dixit Hieronym. Dialog. 3. contra Pelag. In Domini potestate est, vt id quod capimus, quodque laborare admittimus, illius opem, & auxilio adimplere valeamus. Et sic etiam multi exponunt illud Prou. 16. Homini est preparare animam, & Domini gubernare linguam, nam licet se præparet, & proponat homo loqui, si in ipso vsu Deus non dirigat mentem, & gubernet linguam, facile labitur. Simili modo in eod. Prou. 16. dicitur. Cor hominis disponit viam suam, sed à Domino gressus eius diriguntur, sicut strenuus Dux optimè disponit exercitum, & nihilominus successus victoriæ ex diuina providentiā, & adiutorio maximè pendet, quia non potest industria humana omnia providere, quæ possunt victoriam iuuare vel impedire, iuxta hunc ergo sensum nihil hæc testimonia pertinent ad prædeterminationem voluntatis in electione, vel in volutione libera, quia respectu talis gratiæ iam hæc electio, vel preparatio supponitur facta per aliam gratiā præuenientem, & adiuantem, & hæc vltior gratia subsequens, quatenus ad nouum actum, seu voluntatis vsu, & executionem datur, etiam confertur per gratias excitantes, aut internas, dirigendo mentem, & confortando voluntatem, influendo illi suauitatem, vel quid simile, quatenus vero ad actiones, & facultates executiuas exteriores spectat, datur, auferendo impedimenta, vel adiutoria etiam corporalia executioni accommodata tribuendo.

Alter verò possunt verba Ierem. intelligi de via hominis etiam quoad ipsam electionem liberā, Et Suarez de Gratia Pars II.

seu quoad ipsum interiorem consensum seu propositum nostræ voluntatis. Et sic dicitur non esse in hominis potestate via eius, quia non est in illius potestate habere vocationem, & excitationem, sed diuini hoc est muneris, quem sensum ibi Hieron. amplexus est. Sunt tamen duo notanda. Vnum est, quod licet prima excitatio non sit in hominis potestate, tamen habere secundam, & tertiam, & omnes alias necessarias vt ambulet, & dirigantur gressus eius, est aliquo modo in eius potestate, quia si bene vtatur prioribus, posteriores accipiet. Aliud est, quod licet preparatio cogitationis, vel congruæ vocationis ex sola Dei misericordia sit, nihilominus ex culpa hominis esse, quod vocatio illius congrua non sit. Et vtrumque significat August. lib. 2. de Peccator. merit. cap. 17. cum dixit. Gratia Dei quæ adiuuat hominum voluntates, quæ vt non inueniuntur, in ipsis istidem causis est non in Deo. Quod ex ipso loco Ierem. colligitur, quia in eo statim subicit. Verumtamen corripe me in iudicio, &c. Igitur iuxta Augustinum licet non sit in homine via eius quantum ad excitationem, est quantum ad determinationem, & cooperationem, & ita quando Deus actu non iuuat, & dirigit viam eius, ab hominis libertate, & culpa prouenit, & ideo necesse est, vt oret. Corripe me in iudicio, &c.

CAPVT XXXVI.

An Deus faciat, vt velimus, & faciamus per physicam prædeterminationem, aut efficientiam.

Sextus arguendi locus maximè sumi solet, ex illis testimoniis in quibus dicitur Deus facere, vt velimus, & faciamus, & ad eadem reducuntur illa, in quibus dicitur Deus trahere homines, nequaquam possit ad eum venire. Sic inducuntur verba Ezech. 11. & 36. Dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum Deus faciet ponam in medio vestri, & faciam, vt in præceptis meis ambuletis. Quibus consonant illa verb. Rom. 8. Qui spiritus Dei aguntur hi sunt filij Dei. Item adducuntur verba Isai. 50. Dominus meus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, quasi aperire autem sit, cor ad consentiendum determinare. Item illa Ioan. 6. Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Quibus consonat illud Canticor. 1. Trahe me post te. Ex quibus sic argumentatur. Si Deus expectat determinationem nostram, vt nobiscum operetur, nos potius illum trahimus, vt nostram conuersionem operetur, quam ipse nos trahat vt illum sequamur. Et similiter potius nos facimus, vt ipse faciat, quam e conuerso. Alij sic vrgent, quia verba Scripturæ sunt in omni proprietate intelligenda, sed verbum facere significat physicam efficientiam, nam moralis metaphora est, ergo cum Deus dicitur facere, vt faciamus, vel, vt velimus, intelligendum est physicè id facere, ergo facit prædeterminando voluntatem, nam sola prædeterminatio physica facit per propriam efficientiam, vt voluntas faciat.

Respondetur ex dictis testimoniis, & similibus solum probari necessitatem diuinæ gratiæ, & efficaciam eius, modum autem efficiendi per physicā prædeterminationem nullo modo posse ex illis locis colligi, quod breuiter ostendo. Primo enim non est necesse, vt promissio illa per Ezechiel. Dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum intelligatur strictè de sola gratia efficaci, nedum de sola prædeterminante, sed in vniuersum de abundantia gratiæ, quæ in lege noua danda erat, quæ includit non solum auxilia efficaciam, sed etiam sufficientiam, & copiosā, quæ abundat.